

Marmoutier Cartulaire blésois, 2

In nomine Domini Summi Saluatoris. Nos quidem fratres gregis incliti confessoris Xristi beati Martini maioris monasterii, videlicet: Huddo decanus, Arduinus thesaurarius idemque archiepiscopus, Ascelinus prepositus ceterique alii, notum immo et percognitum fore volumus cunctis sancte Dei ecclesie fidelibus, quoniam deprecatus est nos quidam diaconus nostrae congregationis canonicus, nomine Rainaldus, uti ex rebus mensae fratrum pertinentibus, scilicet inter terram et vineam aripennum I et medium, sub institutione census annuatim reddendum per huius nostrae auctoritatis testamentum concederemus. Cuius deprecationem benigne recipientes, concessimus ei predictam terram sitam in pago turonico, ex potestate sancti Martini maioris monasterii in villa Cansiaco. Terminatur ab una parte terra quam tenet Isaac et de aliis duabus partibus terra ex ipsa potestate, quarta vero fronte via publica. Infra istas terminationes totum et ad integrum memorato Rainaldo pleniter concessimus, ut habeat licentiam possidendi, vendendi donandi vel quicquid melius elegerit faciendi. Studeat etiam exinde annis singulis ad missam sancti Martini autumpnalem solvere censum denariorum VI, et ei amplius non requiratur. Et si de eodem censu tardus aut negligens repertus fuerit, id ipsum ei liceat emendare, et quod tenuerit non ideo cogatur amittere. Ergo ut credatur esse factum et a successoribus nostris inviolabiliter conservetur manibus propriis ipsum tangendo firmavimus adque corroboravimus. Huddo decanus firmavit atque subscripsit; Arduinus archidiaconus idemque archiepiscopus firmavit atque subscripsit, Ascelinus canonicus atque prepositus subscripsit.

Constantius Rotbertus